21.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

DIABETE,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS WALLACE,

Anglus,

CHIRURGUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

NECNON

SOCIET. HUNT. EDIN. PRÆSES ANNUUS.

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXVI.

To Mr. A. Graham
with the best wishes of
his friend the Author

JOANNI THOMSON, M. D. S. R. S. E.

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. HON.

COPIARUM BRITANNICARUM

E CHIRURGIS,

OLIM

CHIRURG. MILIT. IN ACAD. EDIN. PROFESS. REG.

&c. &c. &c.

VIRO

ANIMI DOTIBUS OMNIQUE DOCTRINA

MIRE PRÆDITO;

HOC TENTAMEN ACADEMICUM,

HONORIS INDICIUM AC PIGNUS,

NIMIS SANE EXIGUUM,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

OB PLURIMA SIBI AMICE FACTA,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

NECNON,

VIRIS EXIMIIS

JOANNI G. TURNER,

ARMIGERO,

COLLEGII REGII CHIRURG. SOCIO,

ET

EODEM IN COLLEGIO CHIRURGIÆ PROFESSORI,

ATQUE

DAVIDI McLAGAN, M. D.

COPIARUM BRITANNICARUM

E MEDICIS,

COLLEG. REG. CHIRURG. EDIN. SOCIO,

&c. &c. &c.

QUORUM SUB AUSPICIIS,

MEDICINÆ STUDIUM PRIMO INGRESSUS EST,

QUORUMQUE FAVORE BENIGNO,

PER QUINQUE FERE ANNOS,

AD ARTEM HIPPOCRATICAM ITER INSTRUXIT;

HANC DISSERTATIONEM,

IN TESTIMONIUM ANIMI TALIBUS PRO MERITIS

GRATISSIMI,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

NECNON

VIRO EGREGIO

NINIANO BRUCE, ARMIGERO,

IN REGALI COLLEGIO MILITARI APUD "SANDHURST,"

IN COMITATU BERCHENSI, CHIRURGO,

ET

NOSOCOMIORUM REGIORUM INSPECTORI VICARIO,

HOC TESTIMONIUM ET MONUMENTUM

AMICITIÆ EJUS CUM PATRE SUO,

PER QUATUOR FERE JAM LUSTRA SPECTATÆ SATIS,

NEC PUERILIUM SUORUM ANNORUM

MINUS FAUTORI,

LUBENTISSIME OFFERT AUCTOR.

DENIQUE

PATRI SUO CARISSIMO

GULIELMO WALLACE, ARMIGERO,

SOCIETATIS REGIÆ EDINENSIS SOCIO,

MATHEMATICÆ ET ASTRONOMIÆ

IN ACADEMIA JACOBI VI. EDINBURGI PROFESSORI,

&c. &c. &c.

CUI,

QUICQUID BONI, QUICQUID FELICITATIS

VEL HABET VEL ASSECUTURUS EST,

PRÆSERTIM DEBET,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

EA QUA DECET REVERENTIA,

CONSECRAT

FILIUS AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DIABETE.

Auctore GULIELMO WALLACE.

DIABETES nomen est cum eventu lethali adeo frequenter conjunctum, ut cur medici summi momenti habeant, egomet idoneum dissertationis inauguralis argumentum duxerim, exponere supersedeo. A vocibus Græcis *δια per*, et *βαινω eo*, derivatur vocabulum, quod siphonem, priusquam hunc morbum, siphonis ritu humorem haustum per vias urinales egerentem, significare consuevit.

NOSOLOGIA.

Doctissimus G. Cullenus, a notione sua minus firma de mali origine, inter *spasmos* functionum naturalium et classis Neurosium hunc morbum collocavit. In duas species dividit, Mellitam, et Insipidam; atque ita definit: "G. lx. Diabetes. Urinæ plerumque præternaturalis, copia immodica, profusio chronica."

Sauvagesius in classe Profluviorum rectius collocavit, et in septem diduxit species: 1. Legitimam seu antiquam; 2. Anglicam, vel mellitam; 3. Hystericam, quæ fere semper insipida: habet etiam, 4. *Diabeten a vino;* 5. *Diabeten arthriticum;* 6. *febricosum.* 7. *Diabetes artificialis* prorsus imaginarius est.

Doctissimus J. M. Good locum Diabetæ in Nosologia sua speciali attribuit, in classe Eccritica, ordine Catotica, genere Paruria; cujus ultimæ duas species, *incontinentem* et *mellitam,* Diabetem comprehendere intelligit. Paruria incontinens, Diabetæ insipido Culleni respondet. Quum autem plures ex recensitis species, sint vel potus aut nimii aut diureticorum ef-

fectus, vel symptomata aliorum morborum, prorsus a morbo specifico quem dissertationis argumentum selegi, diversa; ita ex animo doctissimi meritissimique PROUT sententiæ assentior, qui Diabetem morbo, in quo urina saccharina fit, proprium esse vult. Hæc urinæ pathognomica mutatio, non semper fluxum immodicum comitem habet. Varietates duæ in rerum natura sunt:

1. Diabetes sine diuresi.
2. Diabetes cum diuresi.

Absolutam *simplicis diuresis,* vel auctæ urinæ, ab his duabus formis distinctionem fieri oportere existimat; "quod multi morbi diversissimi, id solum commune habentes quod auctum urinæ profluvium appareat, sibi invicem confusi sunt." Hæc igitur morbi, si quid valere debet ordinatio, optima mihi videtur.

DE SIGNORUM HISTORIA PROGRESSUQUE.

OMNIS fere ætas post pubertatem, sexusque, nonnunquam et ante hanc (RUTHERFORD, Ed. Med. and Surg. Jour. i. 314. PROUT, p. 69.), diabete affici potest. Viri tamen quam fœminæ ob-

noxiores habentur; sed necne hæc res ita se habeat, auctoribus spectatissimis ambiguum visum.

Nihil peculiare in loco vel conditione affecti hactenus observatum est. Scriptores quidem nonnulli iis meliore loco natis, alii infimæ plebi attribuunt: sed, ut vere dicam, in utraque classe indifferenter grassari videtur: sæpe quidem speciem gravissimam apud fœminas induere: quæ, nulla non vitæ humanæ conditione, a cœli injuriis, victu parum idoneo, satis defendi consueverint. Regiones orbis terrarum quibus primum conspectus est humidæ sunt, uti apud veteres Ægyptus, apud recentes Scotia. Attamen Hibernia, cum solo multo humidiore quam Ægyptus vel Scotia, cum plebe vi cœli intempestivi, victus pravi obnoxia, diabetem nihilominus rarissimum habet.

Neque hic quærendi locus est, necne apud gentes doctiores, medentium multiplicatio, doctrinæ medicinalis diffusio per plebem, rariores morbos familiares ibi reddiderint; qui tamen in natione minus erudita atra caligine pressi jacuissent.

Doctissimus olim Jacobus Gregory, eo, quo desiit esse anno, narravit, se inter 48 annorum 50 diabetæ exempla apud Edinenses conspicatum.

Gulielmus Prout, cui quanto Edina Londinum amplius, tanto consultores ægris Gregorianis pauciores tuto æstimo, intra septennium Londini viginti vidit diabetæ exempla. (P. 81.)

Hoc tamen duos diabeticos ei, pro unoquoque Gregoriano præstat; id est, Londini quam Edinburgi diabetem duplo frequentiorem esse; dum Heberdenus auctor est, in immensa sua, ibi, fereque seculari praxi, viginti tantum sibi exempla visa. (Comm. 126.)

De corporis habitu quem diabetes affectet, cum ad causas proclivitatem gignentes ventum sit, loquemur.

Initium diabetæ, vel accessionem, pauci Aretæo melius descripserunt. (Morb. Diut. ii. p. 57.) "Os humore privatur, saliva albida est, spumosa, fere ut in siti communi: hactenus tamen sitis non adest. Præcordia quasi pondere quodam pressa sunt, et modo calor, modo frigus (Prout, 68. *Dubl. Hosp. Rep.* iii. 430) a ventre ad vesicam extendere percipitur."

Præter hæc signa, quorum nulla omnino perpetua sunt, Dr Prout (69.) fere semper *urinæ excessum* per morbi prægressum annotavit.

Morbo semel constituto, sensus debilitatis cu-

jusdam et oppressionis, diabetæ præsentiam indicat. Somnus fere perturbatur. Tum sitis accedit, cutis arida, cibi cupiditas intensa. Aliquando et dolores fugaces rheumatismum referentes, sed leniores, ab alia in aliam partem circumvolitant.

Nonnullis crura imbecilla frigidaque ab initio sunt: in aliis, hoc signum, seriei quæ diabetem facit, fere ultimum accedit.

Lumborum dolor motu, vel conamine quovis auctus, ponderis atque plenitudinis circa renes sensus: nonnihil dolens sed nunc copiosa mictio, in multis comitantur. Aliis vero profluvium urinæ nimium, cum siti multa, cupiditate cibi inordinata, diu sine gravi valetudinis generalis labefactione subsistere videtur.

Urinæ excretæ species inspicienti admodum vitiata videtur. Ab humore fusco vel flavo, olfactum graviter offendente, in liquorem, qui, nisi fœnum aliquantulum oboleat, propemodum sine odore est, et seri lactis faciem præbet.

Apud initium morbi cutis non semper arida est; aliquando sudores partiales erumpunt in summam cutem, maxime post meridiem, secundum doctissimum FRANCISCUM HOME, (*Clin. Exp.*)

sed in plerisque cutis ad finem sicca perdurat. Capitis dolor minime infrequens est, inquies, animus demissus, vigilantia, somnia horrida, anaphrodisia.

Inspecto ore, fauces sæpe speciem coriaceam, duriusculam, sulcis profundis areolisque impressam, exhibent. Halitus oris pomorum odoratus est. Gingivæ tument, dolent; saliva fit crassa, viscida, parca. Vomitus satis frequens est, quo cibus fere nihil mutatus e ventriculo rejicitur.

Alvus fere adstricta est, atque dejectiones duræ, albidæ, aliquando viridescentes sunt.—HOME, *Clin. Exp.*

Pauculis tamen, maxime post hecticam, alvi profusio supervenit, eventumque lethalem accelerat.

Inflationes tympanitæ similes nequaquam raræ; atque plerique de ardore obtuso, obscuro, attamen corrodente, in ventris regione queruntur.

Genitalia universum corporis lapsum participant. Phimosis, ulcera ad osculum urethræ, appetitus rei venereæ extinctio, inter signa consuetæ diabetæ provectioris observantur.

Ut in plerisque debilitatis morbis, sic in proposito, hectica vitæ tandem finem facit.

Vesperascente die, pulsus excitatur, ab 80 ad 120 in sexagesima horæ parte micans; palmæ manuum, et plantæ pedum, calent. Omnes ægri dolores augescunt, et sudor subacidus, sæpe tactui ingratus, plus minusve generalis, in summam cutem provenit: tumores intercutes pedum, oculorum caligines, tarsorum dolor vel exulceratio, vertigo, macies summa, pallor, ultima lethalisque urinæ suppressio, mortis accessum denuntiant.

Moestitia animusque peculiariter demissus ad vitæ finem usque perseverat; atque vox, quamvis sæpe rauca, extremam desperationem indicat.

Præter vero hecticam, morbus nonnunquam aliam sibi viam ad mortem quærere videtur, vitamque modo apoplexia, modo hydrope, inducto, extinguit: etiam per affectum ventriculi peculiarem, vel simplicem ejusdem distentionem a cibo parum idoneo.—Prout, p. 64-66.

Hæc generalis est species illius morbi quem proprie Diabetem appellant; morbi qui serius ocyus, modo cum, sed sæpius sine, mediocris valetudinis intervallis, ægrum ad lethum perducit.

Aliquando tamen cum aliis affectibus, maxime cum phthisi, et febre intermittente, conjunctus videtur. Neque multum apud diabetem nostratum

videntur hepatica illa mala, quæ auctores memorant; atque affectus ejusmodi hystericis familiaris, mera diuresis est. Omnium autem in nostra regione phthisis frequentissima est comes: ut multis diabeticis adsit tussis sive sicca sive humida, cum sensu ponderis dolorisque pectoris, per totum morbi progressum.

Pauca quædam, sed haud sine pondere, ut cum præcipuis signis connexa, considerare oportet.

Medicorum staticorum, SANCTORII, KEILLII, RYE, HALLERI, plurima experimenta docent, mediam diurnam urinæ copiam, in nostra regione, libras quatuor haud multum excedere. Sed in diabete raro sub octo vel decem libras descendit; et exempla narrantur, quibus omni nychthemera per hebdomadas aliquot, 40 libræ profusæ sunt;—PROUT, p. 63. Variat tamen, maxime diversis temporibus; atque in uno quidem exemplo (Ann. Med. DUNC. 1801) copia 70 in die libras superabat. Doctor F. HOME, in experimentis supra citatis (Clin. 319. et infra,) demonstrat, copiam urinæ, diversis diei temporibus, diversam, sed post meridiem, maximam esse. Sapor tum dulcis est, et evaporando residuum saccharinum relinquitur,

quod arte chemica crystallos sacchari genuini præstare cogitur.

Tabula quam composuit doctissimus HENRY, Mancuniensis, Ann. Phil. p. 27. hoc residuum, vel extractum, ad libram et quadrantem usque surgit, cum æger 13 libras *trojanas* in die excrevit! quin aliquando ad libras duas. Pondus specificum semper descendebat (puta ad 1020), cum urinæ copia 40 libras in die transcenderet. Sequitur, quod in exemplo diabetæ utcunque communi, ad libram urinæ uncia una extracti subsit.

Sapor urinæ saccharinus primum WILLISIO notatus; "quasi melle" ait "vel saccharo imbuta, mire dulcescebat."—*De Med. Op.* § iv, c. iii.

Hujus saporis materiæque saccharinæ vestigia in sanguine Diabeticorum frustra quæsita sunt: nec quid in eo quidem, nisi laxitas coaguli aliqua repertum. Excipienda tamen ea sunt morbi exempla renixum habentia; quibus, si WATTIO credamus, pp. 22-229. sanguis missus crustam coriaceam ostendit. Serum quoque sanguinis in plerisque Diabeticis, nonnihil turbidum videtur.

DE CADAVERIS SECTIONE.

Diligentissima anatomia, quotquot occasiones ei eventus Diabetæ familiaris obtulerit, quotannis, nihildum in cadaveribus Diabeticorum ingenium mali illustrans, detegere potuit. Sperandum equidem erat, in longo morbo tot tam gravesque functiones perturbante, aliqua saltem ex organis internis mala functionum participasse. Quam ob causam Diabetæ origines medici quæsiverunt,

I. In Renibus, quos repererunt, 1. naturales ; 2. monstrosos ; 3. inflammatos, cum hujus conditionis sequelis ; 4. remollitos, flaccidos, lacerabiles ; 5. exauctos ; 6. calculosos ; 7. purulentos ; 8. contractos.

II. In ureteribus, quos invenerunt, 1. naturales ; 2. dilatatos ; 3. pus habentes ; 4. calculosos.

III. In vesica urinæ, quam viderunt, 1. naturalem ; 2. exauctam ; 3. incrassatam ; 4. contractam ; 5. inflammatam.

IV. Hepar, lien, pancreas, fuisse dicuntur, 1. naturalia ; 2. inflammata ; 3. indurata ; 4. steatomati similia.

V. Pulmones visi sunt, 1. naturales ; 2. tuberculosi ; 3. abscedentes.

Præter vero hæc fortuito visa, unde theoriæ concoctoribus diabetæ rationem seligere placuit, *glandulæ mesentericæ* subinde auctæ sunt, pylori regio in ventriculo inflammata, *membrana aortæ interna* ruberrima ; atque in uno saltem exemplo (*Ed. Med. et Surg. Jour.* i. p. 314.) series glandularum calculosarum in mediastino anteriore deprehensa est.

Longe autem plurimis exemplis nihil omnino morbosi observari potest.

DE CAUSIS DISPONENTIBUS.

Ante scripta optimi Doctoris Prout, de causis Diabetæ prædisponentibus, nihil compertum erat. Dictum quidem fuit, regionum humidarum frigidarumque incolas ad eum proclives esse.

Galli Batavos, Anglos accusant, Angli Scotos; et in tempore vetustiore Syri Ægyptios.

Postea et causæ excitantes proclivitatem dare existimatæ; atque homines frigori ac humori objecti, victu parum idoneo, potu meraciore utentes, Diabetæ magis obnoxii habiti sunt. Alii iterum, vitam luxuriosam, Bacchi, Veneris, culinæ cultum nimis assiduum, hominem quam maxime huic malo præparare, auctores sunt.

Illud utique notatu dignum, nautas plerumque has duas causarum series in eodem homine identidem conjungere, nec ita raro Diabete laborare; etiamsi ipsi hunc vix unquam privationibus suis imputant.

Proclivitatem hæreditariam apud ROLLO, de Diabete, primum memoratam video: atque confirmari videtur per exempla quæ ROLLO et STORER ibi collegerunt, etiamsi certius adhuc per observata Doctoris PROUT, p. 69.

In proclivitate autem quam ille tradidit hæreditaria nihil insoliti est, sed similem parenti prolem fuisse etiam in morbosa dispositione ostendit. Utilitas vero inde ducenda hæc est.

In omnibus ejusmodi familiis, medicum præcepta *prophylactica* quibuslibet earum cognatis pro-

ponere oportet: vidit enim illustris vir Diabetem facile arceri sæpe posse, nunquam autem curari. Idem (p. 34.) auctor est, unumquemque urinæ morbum in alium quemlibet, ideoque in Diabetem, ægrotantes proclives dare: et fœminæ familiarum, in quibus tales apparent, compaginis quoque genitalis malis obnoxiæ sunt.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

MINUS equidem de causis excitantibus controversiæ medici movent. Frigus, calor, luxuria, victus parcus, vel etiam nimis lautus, potus alcoholicus, vinosusve, fructus pene omnes recentes, medicamenta urinam moventia, ut causæ Diabetæ omnia accusata sunt. Verum est, et experimenta KRIMERI, et originem mali in equis ex frumento corrupto, ostendere, alimenti vitia diuresin aliquando gignere; haud alia ratione quam ea medicamenta quæ Diuretica nominantur efficere solent. Nihilominus, multi, ut constat, comitem mali cum causa ejus confuderunt: in plurimis demum exemplis, necne urina saccharina esset, non satis compertum habemus.

Ubi tamen dispositio ad saccharum gignendum existit, dubitari non potest, quin causæ excitantes memoratæ etiamque aliæ complures, veluti *animus demissus, diæta tenuis, affectus febrilis* vel *nervosi*, genuinum sæpe Diabetem exciverint.

Morbus quem cum Diabete medici hactenus miscuerunt, sed quem (Prout, pp. 50-57.) "Excessum ureæ," quasi dicas "*Plethuriam*," denominavit, frequentissima forsan, itemque maxime formidanda hujus dispositionis ad diabetem species est. Præcipitatis ab urina crystallis, infuso acido nitrico, recognoscitur; id quod sanis urinis ante evaporationem nunquam contingit. Sed excipiendi sunt morbi acuti, qui urinam condensare solent: et excessus phosphatum puerulis familiaris, et nunquam non auctam uream habens.

DE CAUSA PROXIMA.

Galenus, cum multis aliis, a morbo renum nasci putat. Aretæus deliquationem totius corporis; Africanus et Mead, morbum actionemve vitiosam hepatis; Willisius sanguinis solutionem; Lister, Home, Cullenus, Rollo,

obscuram ventriculi affectionem, actum assimilandi perturbantem. J. Gregorius demum, Davis (apud Rollo) renixum totius corporis, functione cutis suppressa, concitatum existimant.

Ex his theoriis nulla valde improbabilis, nulla multum cæteris præstat. Satis constat, signum diabetæ princeps, *urinam saccharinam* esse : nec nisi tribus in modis hoc vitium fieri posse videtur ; scilicet, 1. ab actione renum perturbata ; 2. a statu sanguinis morboso ; 3. ab assimilatione, demum perversa.

Nunc observandum est, sanguinem in statu morboso quidem reperiri, nullis tamen urinæ diabeticæ elementis instructum. Porro, renes plerumque sanissimos cultrum indicare.

Verisimile itaque fit, morbosum hunc sanguinem, tam immensum per amplas arterias emulgentes ad renes delatum, istos nova sua materia ad auctam actionem stimulare ; nec admirari quis debet, progeniem hujus novam compositionem exhibere, quippe cujus omnia elementa ultima prius in sanguine extitissent.

Quod assimilatio valde afficiatur, vel ipso sanguinis alvique statu ; cupiditate cibi enormi ; fa-

cili secretionis urinæ mutatione, pro cibo forte ingesto, evincitur.

Generalis igitur diabetæ notio hæc sit. *Malum esse, quo morbosa assimilatio morbosum sanguinem gignit; hic autem morbosam per renes secretionem, indolis saccharinæ.* Neque hæc actio morbosa in solos renes exercetur: pulmonum quoque cutisque secretiones vitiantur, nec raro etiam minutula ejusdem generis organa, quæ adipem, materiamque nutrimenti partium, secernunt.

DE PROGNOSI.

In diabete semel confirmato, nulla stabilis curationis spes est. Sæpe vero morbus idonea tractatione aut arceri, aut maxime levari potest, per longum satis spatium. Diuresin quidem remediis cedere invenit Prout, conditionem vero urinæ *saccharinam* nunquam. Medentis nihilominus erit, ægrotantis spem sustinere; ubi enim animum despondisse tantum noceat, et adeo crebro contingat, vix artifex esset ille, qui non summis id viribus devitaret.

Dispositio, quam Plethuriam denominare, ab ureæ excessu, ausi sumus, adeo quidem formidanda, uti Dr PROUT affectos " hominibus in præcipiti stantibus" comparet; plerumque suspendi, si non omnino tolli, potest.

Idem de urina albuminosa, vel chylosa, verum est; aliæ nimirum duæ dispositiones diabeticæ, quæ connexiones seriei causarum supra memoratarum plane conjungunt, scilicet *prava alimenti assimilatio, morbida sanguinis conditio, actio renum inde subsequens nova.*

DE DIAGNOSI.

SACCHARINA urinæ indole ut essentia diabetæ præsumpta, a nihil nisi diuresi, vel nimia urinæ profusione, diabetes dignoscendus est. Hoc autem facile efficitur, sapore dulci, aspectu melleo, odore quasi fœni, recognitis: necnon proclivitate qua aut coascescit, aut destillata, alcohol urina præbet. Urinæ equidem adeo copiosa est secretio, adeo leviter a causis externis mutatur, quod augmentum ejus vix morbus haberi possit, saltem vix affectio corporis generalis.

DE CURATIONE.

DIABETÆ curationem omnino empiricam esse oportet, quum pathologia ejus tanta caligine sepulta jaceat. In omnibus tamen difficultatibus hujusmodi, clinici rationalis erit consilia medendi sua ad signa molestiora compescenda dirigere: morbum enim sic universum ille levare tendet, atque si alia signorum ex aliis forte pendent, tum his extinctis, illa necessario e serie eventuum morbum constituente, evanescent.

Ideoque in diabete, quamvis nulla solida restitutio ab *astringentibus, diaphoreticis, victu animali, balneo calido,* attamen per eadem morbus sæpe annos aliquot suspensus est.

Minoris existimandæ sunt eæ medendi rationes quæ diversis auctorum theoriis nituntur. Scripsimus, nullam quidem ex his valde irrationalem videri, sed curatio inde derivata raro multum valuit.

Quam inepte tum DUPUYTRENUS et THENARDUS, coram INSTITUTO IMPERIALI anni 1806, affirmabant, " Curationem in diabete a ROLLO commendatam, postea civibus propriis

NICOLAS et GUENDEVILLE adeo feliciter adhibitam, atque ex victu pure animali specialiter constantem, non minore efficacia esse, quam cinchonam in febribus intermittentibus." ! ! *(Dict. Scien. Med.* iv. 146.)

Secundum has diversas notiones *roborantia, laxantia, sanguinis missio, victus animalis, hydrargyrus, vomitoria, antispasmodica, epispastica, cantharides, phosphorus, electricitas, diluentia, saccharum ipsum,* a medicis doctissimis exhibita sunt, et a circumforaneis infinita farrago.

Summatim uti dicam, *astringentia, diaphoretica, sanguinis missio, victus animalis,* fere omnia hactenus utilia in diabete visa comprehendunt. Opium, verisimile est, et astringit, et sudorem movet ; certe utilissimum auxilium præstat, maxime si cum ipecacuana aut kino conjunctum *. Id quidem summa opii laus est, ut cum *sanguinis detractione*, cum *astringentibus*, cum *victu animali*, una commode præberi possit.

Alia remedia minoris momenti sunt, quam quod plusquam nominatim memorari hic mereantur. Nauseosa tamen eo commoda sunt ut cu-

---

* WARREN, Trans Coll. Phys. Lond. iv., BLACK's Cl. Reports.

piditatem cibi enormem cohibeant, sitim leniant, ad cutem alvumque humores dirigant.

Ad hoc, quamvis minus usitatum, tartratem antimonii optime responsurum crediderim. Ipecacuana et hydrosulphuretum ammoniæ maxime usurpata sunt; ultimum, ni fallor, ex spe quadam chemica ut nitrogenium corporis deficiens aliquomodo resarciret. Stuporem tamen vertiginemque facile superinducit. Aqua calcis, lacte mixta, et sitim restinguit, et astringens remedium minime spernendum fit. Præter hanc quidem et Catechu alia vix necessaria sunt.

Purgantia optima sunt oleum ricini et pilulæ colocynthidis aut aloëticæ: salinæ enim formulæ fere laudatæ renes nimis stimulant, neque theoriæ neque praxi congruæ. Hydrargyrus quoque evitari debet; Prout, p. 75.

Sanguinis missio nunc obsolescere videtur, minus quidem ob debilitatis augendæ metum, quam ob certam nimis experientiam, illam curationem neque vitam diabetici prolongare, neque morbum fugare, quantumcunque formas morbi excitatiores mitigavisse videatur.

In his tamen experiri, tamdiu valetudinem meliorem reddere videatur, (Watt, p. 232), nihil nocere potest.

Dolor in renis regione, pulsus durus, celer, usum ejus abunde excusant. Itaque hirudines, cucurbitula cum incisione, sinapismi super renes, sæpe adjuvant. Hæc remedia insuper alvum quoque facilem reddere videntur.

Victus ex rubra parte carnium, si ferri potest, sola, confici debet.

Non amplius vero tolerabili, panis sicci bis cocti pauxillum superaddi potest: quin si MAGENDIO credamus, (*Physiol.* vol. ii., *Ed.* 1825.) semper ex brevibus intervallis superaddi debet; quum experimenta ejus ambiguum admodum reddant, necne vita vel salus ex unico quovis et solitario cibo sustentari possint.

Hæc igitur summa curationis est, quæ mihi magis arridet: sanguinem mittere si opus est, alvum et cutem per *opium*, antimonii formulas, oleum ricini, et victum demum rigide animalem, curare.

Doctissimus GULIELMUS PROUT, in hoc morbo nequaquam mediocris auctor, adeo insuper sanguinis detractionem laudat, ut specialiter quoque de regione epigastrica detrahat. Alvum oleo ricini movet, et pulverem ipecacuanæ et opii a v. ad xx. grana ter die, optimam opii ad cutem molli-

endam formam existimat: sed semper sanguinis missionem sequi oportere, et in debilitate, cum carbonate ferri conjungendum. Victum et regimen præcipua remediorum putat, potus copiam circumscribit, sitimque paulo melius aqua Bristoliæ, vel Leamingtoni, quam aliis potionibus, restingui suspicatur. Aquam destillatam optimam habet; nec tamen ut ægro decoctis animalibus, lacte, ne quidem spiritu vini Gallico, interdicat. Victus carnosus sit, ex bovina vel ovilla, assus; sed nec aliam ob causam quam quod facilius concoquatur. Minuit *copiam*, obfuscat *colorem*, celat *saccharum* urinæ; sed pondus ejus specificum non minuit. Multus idem de copia et frequentia ciborum refrænandis est: erroresque inde sæpe lethales fuisse, testatur, p. 80.

FINIS